

cum ea, quam ipsi secum attulerant, in thesauris reposerunt, ac piaculare sacrum fecerunt. Ipse Pleminius, antea a suis hostiliter laceratus, et naso auribusque mutilatis, prope exsanguis relictus, Romam missus est, causam dicturus. — Sed ante causae dictionem, teterrimo genere morbi in carcere consumtus est.

4. Ante navalis praelii congressionem miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendum: prorsus quasi, non cum Graecis tantum, sed et cum diis immortalibus bellum gereret. Quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est: ut intelligeret, quam nullae essent hominum adversus deos vires.

5. Contra Agesilaus, rex Lacedaemoniorum, magnam templi reverentiam habuit. Maxima laus fuit victoriae, quam de Atheniensibus et Boeotis apud Coroneam adeptus est, quod antetulit irae *religionem*. Quum enim plerique ex fuga se in templum Minervae conjecissent, quaerereturque ab eo, quid his fieri vellet: etsi aliquot vulnera acceperat eo praelio, et iratus videbatur omnibus, qui adversus eum arma tulerant; tamen eos vetuit violari. Neque vero hoc solum in Graecia fecit, ut templa deorum sancta haberet; sed etiam apud barbaros, summa religione, omnia simulacra arasque conservavit. Sic Alexander Magnus, quum Thebas everteret, non est oblitus pietatis erga deos: sed cavit summo studio, ne deorum aedes, et alia sacra loca violarentur. In expeditione quoque Asiatica quum a Persis repeteret poenas, abstinuit a locis omnibus, quae diis dicata erant: quamvis Persae hoc potissimum injuriae genere saeviissent in Graecia.

### CAPUT XIII.

#### QUAE VOTA FACIENDA SINT DEO.

1. Votorum tuorum veterum licet diis gratiam facias, alia de integro suscipe: roga bonam mentem, bonam valle-

Ibid. c. 9. — Valer. M. 1. 1. — Justin. 2. 21. — Corn. Nep. in Agesil. 4. — Polyb. 5. 10. —  
**Cap. XIII.** Sen. ep. 10.